

tia; uti accipit *Cicero l. 2. off.* Strictè Philosophia distinguitur contra Theologiam, Jurisprudentiam & Medicinam, & hoc modo est; I. habitus scientiâ, prudentiâ & arte constans. *Jac. Mart. lib. 1. exerc. Metaph. exerc. 1. theor. 1.* II. Compages scientiarum, prudentiarum & artium. Has duas Philosophiâ descriptiones retinendas putamus: quarum illa loquitur de archetypâ seu habituali, hæc de ectypâ seu systematicâ philosophiâ. Confer *Fonssec. in 2. Metaph. c. 3. q. 3. sect. 2. Casm. l. 1. Philosoph. Christ. c. 1.*

Q U Æ S T I O VI.

Quenam sit vera Philosophiâ divisio?

ENcyclopædia Philosophica sive cyclus liberalium disciplinarum, variis constat partibus integralibus, quas hoc ordine recensemus. Philosophia est θεωρητική, contemplativa, πρακτική, activa, & ποιητική, factiva. Theoretica sub se habet unicam sapientiam; videlicet *Metaphysicam* & undecim scientias, quæ sunt: 1. *Physica generalis.* 2. *Somatologia.* 3. *Pneumatica.* 4. *Mathematica generalis.* 5. *Arithmetica.* 6. *Geometria.* 7. *Cosmographia.* 8. *Astronomia.* 9. *Geographia.* 10. *Optica.* 11. *Musica.* Practicæ disciplinæ vocantur prudentiæ. Suntq; numero quinque; 1. *Ethica.* 2. *Oeconomica.* 3. *Politica.* 4. *Scholastica.* 5. *Historica.* Poëticæ disciplinæ vocantur artes, strictè sumpto vocabulo, suntq; septem: 1. *Mnemonicæ.* 2. *Lexica.* 3. *Grammatica.* 4. *Rhetorica.* 5. *Logica.* 6. *Oratoria.* 7. *Poëtica.* Sunt itaque, nisi me calculus fallit, disciplinæ Philosophicæ 24. quibus si adjeceris quatuor Philosophiæ præcognita, quæ sunt *Archologia, Hexilogia, Technologia, & Canonica*, ritè compleveris theatrum Philosophicum xxviii. ut ita dicam, cellulis. Alias Philosophiæ divisiones tibi suppeditabunt *Bernh. Copius Jct. in partit. & offic. Ciceronis. Jandun. in proem. de anim. Fonssec. in 2. Metaph.*

Metaph. c. 3. q. 2. Colleg. Conimbr. in præm. Phys. Anton. Possiv. l. 12.
Biblioth. c. 3. Kecker. l. 1. præcogn. Philosoph. c. 2. & in tabulis de modo
discendi. Timpl. technol. c. 3.

Q U Æ S T I O VII.

Quomodo Philosophia sit discenda?

Qui Philosophiæ sacris operari cupit, debet præstituerè finem, & constituere media. Finis est expulsio ignorantie; quæ est duplex; *Arist. 1. Post. c. 12.* Una vocatur pura negationis, qualis est in idiotis & pueris; altera prave dispositionis, qualis est in Sophistis, qui cum veritatem solidè non sciant, simulant tamen se scire. Prior illa est vel formalis, vel interpretativa. *Fonseca in 9. Metaph. c. 2. q. 4. sect. 3.* Formalis est defectus scientiæ, hoc est, veræ cognitionis; Interpretativa autem defectus considerationis seu ponderationis. Contra tria illa monstra depugnare debet studiosus, contra ignorantiam formalem, interpretativam & malæ dispositionis. Sed quibus mediis? Media illa sunt duo; remove impedimenta & admove adminicula discendi. Impedimenta illa sunt novem studiorum hostes, & pestes, quas studiosus profliget necessum est. Suntq; 1. Peccati labes. 2. Desidia. 3. Pusillanimitas. 4. Δοξοσοφία. 5. Αυτομάθεια. 6. Μαλαιοτέχνια. 7. Πολυπραγμοσύνη. 8. Nimia & immoderata studia. 9. Mutatio præceptorum. Adminicula discendi considerantur, quo ad communes affectiones & partes. Communes affectiones sunt, quæ requiruntur in singulis studii Philosophici partibus. Suntq; numero septem: 1. Precatio. 2. Studium sanctæ vitæ. 3. Φιλοπονία. 4. Ars meditandi. 5. Ars oblivionis. 6. Ordo. 7. Ars prænoscenti ingenia. Partes adminiculorum sunt numero octo: 1. Lectio. 2. Auscultatio. 3. Scriptio: ubi est locorum communium adornatio. 4. Interrogatio. 5. Examen; seu